

DISPUT. XXV.

LOGICÆ PERIPATETICÆ

# VESTIGIA

A

THEOLOGIS ORTHODOXIS

IN DOCTRINA

DE

# CATEGORIA

## QUALITATIS PRESSA,

*INDULTU ORDINIS PHILOSOPHICI*

PRÆSIDE

### L. CHRISTIANO LUDOVICI,

Profess. Publ.

PUBLICO ERUDITORUM EXAMINI

*Dis 9. Martii A. 1724. ab hor. X. usque ad XII.*

PROPONIT

### GEORGIUS CHRISTOPHORUS

### SCHLÆGERUS,

Cunewald-Luf. S. S. Theol. Studiosus.

---

LIPSIÆ,

LITERIS BREITKOPFIANIS.

*26.*

*a. LXXI. 16.*

oll. diss. A  
, 16

DISPUT. XXV.  
LOGICÆ PERIPATETICÆ  
V E S T I G I A  
A  
THEOLOGICÆ ORTHODOXIS  
IN DOCTRINA  
DE  
C A T E G O R I A  
QUALITATIS  
INDUCTIVÆ  
P R I M I T I V E  
CHRISTIANÆ  
P R I M I T I V E



REINOLDUS  
GEOGRAPHUS  
SCHNEIDERUS  
LUDOVICUS

20

§. I.



Perlustravimus in primis duabus Dissertationibus de qualitate, præter generalia placita Logicorum de *prædicamento qualitatis & qualitate ipsa*, varia *synonyma, Distinctiones & divisiones* qualitatis, & in his omnibus simul ea testimonia Theologorum, quæ nos de pressis ab iis Vestigiis Scholæ Peripateticæ prorsus dubitare non patiuntur. Nunc devenimus ad eas divisiones, quas præ aliis

Logica Aristotelica sibi vindicat; hæc qualitatem dividere jubet in *habitum & dispositionem*, in *potentiam naturalem & impotentiam*, in *patibilem qualitatem & passionem*, denique in *formam & figuram*. Prioræ duæ adeo fecundæ sunt, ut singulæ integram dissertationem faciant, si non excedant.

§. 2.

Primam ex his divisionem, qua *qualitas alia habitus alia dispositio* esse dicitur, ita tractare constituimus, ut (1) in *homonymiam* inquiremus, & (2) *synonymiam*, (3) *definitionem*. (4) *Distinctiones*. (5) *divisiones*, & (6) *cognata* investigemus; denique (7) nonnulla de *dispositione* opposita habitui adjungamus.

§. 3.

*Homonymiam* quod attinet, habitus Aristotelicis notat *vel vestitum corporis*, qui significatus peculiare prædicamentum sibi vindicat: vel *quamcunque formam sive substantialem sive accidentalem*, quo sensu privationi opponitur, inq; post prædicamentis explicatur, opponi vero etiam potest actui: vel *qualitatem diu permanentem*. Habitus qualitatem diu permanentem significans vel opponitur *actui*, quem significatum, licet non omnino alienus a Logicæ tractatione sit, metaphysicum tamen potius, quam logicum esse certum est: vel *dispositioni*, quæ acceptio etsi sola præcise hujus loci sit, cum philosophus *habitum* in Categoria dividat in habitum & dispositionem, ab instituto tamen nostro haud aberraturos nos longius existimamus, si & de reliquis acceptionibus (excepta ea, qua pro vestitu accipitur) exempla nonnulla e Theologorum scriptis accersamus, partim illustrationis gratia, partim ut constet reperiri apud hos ubique Aristotelicorum dogmatum vestigia. Notat ergo *habitus*

I. *Quamcunque formam & opponitur privationi*, in hac acceptione habitus est potentia (hinc est, quod in hac acceptione etiam, ut diximus, actui, perinde ut potentia actui opponitur, opponi possit, cujus oppositionis exempla infra ubi de potentia agetur, occurrent) e.g. potentia videndi, privatio ejus absentia est ut cæcitas in subjecto capaci. Persequitur vestigia hujus doctrinæ

(1) in artic. de attributis divinis Joh. Hülsem. Vind. Script. S. artic. V. p.

21. in quaestione: an Deus sit omnipotens? attendendum, inquit, quaestio-  
nem esse de omnipotentia circa objecta extra Deum, quae juxta leges intellectus  
nostri contradictoria sunt, vel etiam contraria, ut esse, non esse, PRIVATIO  
& HABITUS in uno subjecto eodem tempore & simul.

(2) in articulo de imagine Dei Georg. Zeæmann. cap. VII. p. 139. qui pro-  
baturus justitiam originalem in Adamo fuisse naturale bonum inter alia argu-  
mentum urget a testimonio Augustini perhibentis animorum, quaecunque fu-  
erint vitia, naturalium bonorum (i. e. justitiæ & rectitudinis originalis) priva-  
tiones esse, unde, inquit, colligimus: PRIVATIONES bonorum naturali-  
um presupponunt eorum HABITUM. Vitia animorum sunt PRIVA-  
TIONES bonorum naturalium. Ergo presupponunt eorum HABITUM,  
& per consequens justitia originalis fuit hominis naturale bonum.

(3) in articulo de peccato originis Joh. Andr. Schmidius Compend. Theol.  
p. 139. ubi cum affirmasset formale peccati originalis esse privationem per-  
fectionis secundum legem primævam inesse debitæ hæc addit: ex eo autem,  
quod peccatum originis privationem importare dicitur, colligere non licet, ac  
si illud leve malum sit, sed potius id deduci debet, quod sit summum aliquod ma-  
lum Id certe perpetua illa habitudo, quæ HABITUM inter & PRIVA-  
TIONEM intercedit, exigit, ut quantum perfectionis HABITUS sive for-  
ma presentia importat, tantum imperfectionis involvat PRIVATIO sive  
forma absentia.

(4) in articulo de lege Dei Casp. Finck. Disp. Catech. XIV. §. 69. quando  
ad objectionem: labes originalis per defectum & carentiam justitiæ origi-  
nalis definitur. Ergo est mera privatio, Pontificiis & Scholasticis respon-  
det: distinguendum inter PRIVATIONEM meram sive simplicem, quæ  
est pura rei inesse debitæ negatio, ut cæcitas in oculo & tenebræ: & PRIVA-  
TIONEM conjunctam, quæ non tantum dicit negationem rei, sed ejus etiam  
contrarium HABITUM ponit &c.

II. notat habitus qualitatem diu permanentem oppositam actui vel explici-  
te vel implicite. Videas & hujus Peripatetici placiti vestigia pressa a Theo-  
logis, ut sunt

(1) in articulo de imagine Dei in primo homine, Georgius Zeæmannus  
c. 1. artic. III. p. 13. ubi inter dissensiones Scholasticorum de gra-  
tia primi hominis & justitia originali refert & illam, quod disputatum fuerit,  
an Adam virtutes omnes habuerit secundum ACTUM & HABITUM?  
Thomam contendisse virtutes de sui ratione nullam imperfectionem impor-  
tantes, ut charitatem & justitiam, fuisse in statu innocentiae simpliciter &  
quantum ad habitum & quantum ad actum &c.

in eodem artic. Joh. Andr. Quenst. Syst. Theol. P. I. p. 24.

in

*in eod. artic. Joh. Gisenius de Papismo Disput. XLI. p. 726. disputans Scholastici, utrum Adamus omnes habuerit virtutes nec ne? Thomas part. I. quest. 91. artic. 3. censet quasdam virtutes in primo homine fuisse & secundum HABITUM & secundum ACTUM, ut sunt pietas & charitas &c. quasdam secundum habitum & non secundum actum, ut sunt misericordia, pœnitentia &c.*

(2) *in articulo de peccato originis, Joh. Bened. Carpz. in Isag. in libr. Symb. p. 156. qui observat actuale de peccato originis adhibitum accipi vel causaliter vel effective, priori modo actuale idem esse ac actuosum, posteriori modo ACTUM esse contradistinctum suo HABITUI, locum vid. infra in doctrina de potentia, quatenus opponitur actui.*

*in eod. artic. Joh. Olearius de error. Socin. Disp. IX. §. 32.*

*in eod. artic. Ægid. Strauchius Comp. Theol. Positiv. Polem. artic. VI. p. 238.*

*in eod. artic. Carpz. Isag. in Catechesin Min. p. 1003. ubi concupiscentiam dividit in HABITUALEM & ipsam pravitatem naturam, seu vitiositatem omnium virium; & ACTUALEM, quales sunt motus primi sive primo primi, ut sunt solæ suggestiones consistentes partim in illecebris ad peccandum, partim in abstractionibus a bono: sive secundo primi, cum homines etiam semilubentiam & incompletam voluntatem concipiunt &c.*

(3) *in articulo de peccato actuali, Ægid. Strauchius Compend. Theol. artic. VI. p. 259. ubi cum peccati actualis genus constituisset actum hominis, ACTUM ait in oppositione ad HABITUM accipi, etsi actualia peccata etiam habitualia fieri possint.*

*in eod. articulo, Joh. Andr. Quenst. p. 63. peccatum ACTUALE, inquit, dicitur ab ACTU peccaminoso, agendo enim contrahitur, estque fructus HABITUALIS pravitatis nobis congenitæ; conf. p. 119.*

(4) *in articulo de justificatione Joh. Bened. Carpz. Isag. in libr. Symbol. p. 231. conf. p. 213. ubi ad Papistarum cavillum se non excludere a justificatione Christum propitiatorem, respondere ait Apologiam; Papistas solere quidem Christum nominare, sed tamen revera eum sepelire atque abolere, cum (1) Christum non alia ratione Mediatorem & Propitiatorem esse velint, quam quia meruerit habitum dilectionis p. 74. quod vero exiguum sit, præsertim quia secundo fingant ACTUM voluntatis ante HABITUM illum dilectionis a Christo promeritum, & statuunt, Deum necessario sic operanti dare illum HABITUM. confer*

*in eod. artic. Joh. Olearius in Isag. in libr. Symb. p. 1318. ubi observat Papistas asserere respectu subjecti fidei, infantes non habere fidem ACTUA-*

*L E M*, sed solum *H A B I T U M* sine ulla pravia dispositione. in eod. artic. Joh. Gerh. Confess. Cathol. lib. II. Part. III. artic. XXIII. c. 3. p. 622. ubi ait non negare Lutheranos *Sp. S. in renatis accendere novos motus, in justificandis praequiri quosdam actus aut qualitates &c. hoc vero esse, quod negant, vel novos illos motus esse HABITUALEM* coram Deo *justitiam: vel bona opera esse ACTUALEM* illam *justitiam, qua coram Deo niti & confidere possimus.* conf. id. in Bellarm. Orthod. teste, disp. XXIX. §. 75.

(5) in articulo de praedestinatione, Joh. And. Quenst. Syst. P. III. c. 2. Sect. 2. ubi fidem quoad actum per peccata sufflaminari docet, distinguendum, inquit, inter excussionem fidei quoad *ACTUM & exercitium, & quoad excussionem fidei, quoad ipsum HABITUM, facta applicatione, quod etiam quoad habitum penitus fides in renatis & electis amitti possit.*

(6) in articulo de baptismo Scherz. in Anti-Bellarmino Disp. X. p. 494. ubi thesi Pontificiorum: *infantes cum baptizantur, non habent fidem* opponit nostram: *infantes baptismo accipiunt fidem propriam non alienam, ACTUALEM non HABITUALEM* sive nude potentialem, eamque directam non reflexam, quam probat inter alia; *qui capaces sunt HABITUS fidei, sunt & capaces ACTUS. Infantes juxta Papistas capaces sunt HABITUS. Ergo.*

in eod. artic. Fridericus Balduinus in Casib. Consc. lib. II. c. XI. casu 2. unde certus esse possim, quod parvulis in baptismo conferatur fides? ubi p. 291. de Calvinianis & Jesuitis notat, quod infantibus fidem *ACTUALEM* negent, ut ejus tantum *HABITUM, inchoationem & veluti semen ac radicem* admittant.

in eod. artic. Aegid. Strauchius in Compend. Theol. Positivo-Polemico artic. XV. p. 441. qui cum subjectum sacramenti baptismi constituisset omnem hominem verum &c. nec resistentem, pergit, excludi hic resistentiam non tantum *ACTUALEM, sed & HABITUALEM, licet enim, inquit, quidam ACTU ipso non repugnent, resistunt tamen habitualiter, v. g. si Judaeus vel alius infidelis dormiens baptizetur.*

in eod. articulo, Joh. Gerh. in dogmat. Papalib. disp. XII. §. 12. ubi admittente Bellarmino, *infantes non justificari sine ulla fide &c. colligit: quae si vera sunt, ut sunt, immote concluditur, infantes baptizatos habere fidem ACTUALEM, cum fides quae ACTU justificat & salvat, non sit nudus & otiosus HABITUS omni ενεργεια destitutus, sed efficax.* Conf. Cathol. lib. II. P. II. artic. XII. cap. II. p. 908.

in eod. artic. Schilterus Expos. Catech. Min. p. 494. ubi refert Cingliano<sup>s</sup>

&

Et Calvinianos statuere, habere infantes fidem, non quoad ACTUM, sed quoad HABITUM gratiae illis infusum, & p. 495. orthodoxam sententiam refert, infantes credere tam quoad ACTUM, quam quoad HABITUM fidei, quia tanquam organo infantes Christum & vitam aeternam apprehendant, sed non adultorum more &c.

in eodem articulo Gisenius de Papismo p. 520.

(7) in articulo de Sacramentis in genere Joh. Fecht. Syll. Controvers. Selectarum Disp. XXXVI. 1. §. 1. sanius, inquit, de intentione Ministri in administrando Sacramento Bellarminus sensit, qui VIRTUALEM sufficere docuit, si non adsint ACTUALIS & HABITUALIS, quam Fanatici, qui valorem actuum Ministerii Ecclesiastici a pietate Ministri suspendunt.

(8) in articulo de rebus civilibus Carpz. Ilag. p. 453. ubi sententiam Pontificiorum de Magistratu refert, esse sc. potestatis civilis subjectum primigenium populum, qui a Deo immediate istam acceperit, quam in Magistratum postea conferat, ita tamen, ut nunquam in Regem eam transferat, quin sibi quoque HABITU eandem retineat, & in certis casibus ACTU ad se recipere possit. conf. p. 454. ubi hanc sententiam confutat, posito inquit, populum etiam applicare potestatem ad personam, quam ex communi societate segregat, non tamen sequitur inde potestatem illam applicandam penes populum aut totam universitatem desiderare HABITUALITER, posset enim id facere populus per modum commissionis, ubi nec actu nec habitu penes commissarium potestas illa residet, sed totus ille a principali suo dependet in actu hoc &c. conf. p. 457.

(9) in articulo de Angelis Quenst. Syst. P. I. c. XI. p. 447. thesi 18. Angeli dicuntur boni non tantum ob bonitatem entitativam, quam omnes Angeli etiam mali habent, in quantum enim ens sunt, in tantum etiam boni sunt; nec tantum propter HABITUM corcreatum bonum, nam & in hoc pares cum Angelis malis fuerunt, utpote qui aequae illum olim habuerunt &c. sed etiam ob ACTUM bonum, seu obedientiam Deo praestitam, & in bono perseverantiam, & denique ob sui in bono confirmationem.

III. notat habitus qualitatem diu permanentem oppositam dispositioni, quae acceptio, ut dictum fuit, praecise hujus loci est, licet nec prior prorsus excludenda sit, nec commode excludi possit, quia unus idemque habitus est, pro diverso tantum respectu modo potentiae, modo dispositioni contradistinguitur. Theologos inter qui vestigia Philosophi premunt sunt

(1) in loco de Theologia Balth. Meisn. Philos. Sobr. P. III. Sect. I. p. 70. ubi de conceptu communi Theologiae ita loquitur: praesupponimus autem Theologiam esse quendam HABITUM intellectus, vel qui mentem nostram  
per se

perficiat, licet accurate loquendo in hac imbecillitate magis *DISPOSITIO* tantum sit, & preparatio ad *HABITUM*, quam ipse perfectus *HABITUS*. conf. P. I. Sect. 2. p. 259.

(2) in loco de Theologia naturali Joh. Musæus Introd. in Theol. cap. 11. p. 77. ubi recenset communem sententiam Theologorum de Theologia naturali, esse sc. eam *HABITUM* imperfectum, & *DISPOSITIONEM AD HABITUM*, item τελείωσις potentiae intellectuales habitui analogam; (à qua tamen sententia citra urgentem rationem recedit, insitam theologiam pro potentia propinqua vendicans, ut ut a reliquorum Theologorum mente se non abire aliis persuadere contendit p. 54.) conf. p. 88. & infra §. 4. V. 2.

in eodem artic. Abrah. Calovius loc. Theol. Tomo II. c. 1. qui proposita quaestione: utrum insita naturalis Dei notitia per modum facultatis, *HABITUS* vel *DISPOSITIONIS* vel *ACTUS* nobis insit? tandem p. 80. 81. concludit: in homine dari sive dispositionem aliquam, sive quoddam analogum habitui, aliquam nempe τελείωσις potentiae intellectuales in homine post lapsum reliquam. conf.

(3) in articulo de Deo Joh. Adamus Scherz Syft. Theol. loco II. p. 35. ubi existentiam Dei demonstrat h. m. Deum esse ex libro quidem naturæ (Rom. 1, 19.) cujus duo folia sunt scientia scilicet (seu notitia tum insita eaque non ætialis aut ἐνεργητικὴ sed habitualis seu ἐκτικὴ per implantationem *HABITUS* analogi, tum acquisita Rom. 1, 19. seq) ac conscientia hominis, Rom. II. 14. 15. cognosci potest.

in eodem articulo Ægid. Strauch. in Compend. Theol. Positivo-Polem. artic. II. p. 93. qui cum hanc thesin formasset: Θεογνωσία naturalis est habitus, pergit: non pertinet Theologia hæc, præprimis insita, ad secundam speciem qualitatis, sed ad primam. In priori philosophi potentias & impotentias exponunt, sed non ita spectat Theologus hanc. Theologia naturalis vel absolute vel respectively spectatur. Priori modo, uti in sese habet, est *HABITUS*; posteriori modo in relatione ad Theologiam revelatam habet se instar dispositionis alicujus.

(4) in articulo de persona Christi Zach. Schilt. in Expos. Catechismi Min. Lutheri p. 194. qui unionem duarum naturarum in Christo personalem quinque gradus seu actus seu beneficia complecti interque ea χεῖσις esse cum ostendisset, pergit: χεῖσις, est effusio plenitudinis ἀμέτρου, & hæc nihil aliud est, quam ὀληκῶς ἀχωριστος τῷ χεῖοντος ἀγίῳ πνεύματι παρρησία in natura assumpta, tanquam in proprio templo & domicilio suo habitantis, interprete Oecumenio, in eaque suaviter acquiescentis, ut non modo eandem plenitudine donorum creatorum & finitorem ornet, qualitatam sc. seu *HABITUUM* instar



*instar carni Christi, velut subjecto, inhaerentium, sed ut universam etiam ἐνέγειον suam, in cum & per eam liberrima voluntate exerat, indeque super omnem carnem effundat.*

5) *in articulo de Angelis malis Jo. Quenst. Syst. P. I. p. 450. ubi mali dicuntur esse quidam Angeli non ratione essentiae, sed ab actu malo seu apostasia a Deo, a malitia HABITUALI actum illum sequuta, ob persistentiam in malo incorrigibilem.*

6) *in articulo de imagine Dei Joh. Zeæm. de Imag. Dei cap. III. p. 69. conf. Disput. nostra I. de Qualitate, §. 2. num. 2. & p. 212. ubi Minore Syllogismi Pontificiorum: qualis effectus per peccata hominum actualia post lapsum producit, talis etiam & non alius per peccatum Adami productus videtur. Atqui per actualia non naturalis aliqua proprietas, sed tantum supernaturalis gratiae donum amittitur. Ergo. negata pergit: negari non potest per peccata propensionem ad omnia vitia augeri, & inclinationem ad omnes virtutes minui, imo pravitatem HABITUALEM sensim contrahi, quod vel Philosophorum Scholæ Bellarminum docere potuissent, in quibus hoc decantatissimum, vitia iterata abire in HABITUM & naturam ipsam. conf. Quenst. System. P. II. p. 12.*

*in eodem artic. Justus Christoph. Schomerus in Colleg. Noviss. Controv. p. 159. qui Thesi orthodoxæ: hominem creatum fuisse rectum inque perfecta sapientia & iustitia, Arminianorum antithesin subjicit, Arminiani, inquit, in epistola ad exteros p. 55. & in Coll. Hag. p. 298. obedientiae HABITUM voluntati non potuisse indi, autumant, sed tantum libertatem, quam homo vel bonam vel malam facere potuerit. Porro objicientibus: sublatum iri sic libertatem, respondet, nec in civilibus, qui ex HABITU agunt, libertatem amittunt.*

7) *in articulo de peccato originis Scherz. Syst. Loc. VII. p. 145. ubi ex libris Symbolicis probat peccatum Adami aliquid positivi simul includere, unde, inquit, Augustana Confessio: nos cum peccato i. e. sine metu Dei & fiducia (en privativum!) & cum concupiscentia (en positivum!) nasci docet, artic. II. Cui contradicere Novatores certe pudendum est. Confer Apologiam, quæ ex Thoma ait non esse privationem puram, sed NB. HABITUM quendam corruptum &c. conf. Quenst. Syst. P. II. p. 50. ubi ait, materiale peccati relate spectati esse dispositionem, HABITUM, actum legalem &c. formale esse reatum.*

*in eod. Joh. Olearius in Erroribus Socinianorum, Disp. XIII. §. 77. p. 54.*

*in artic. eod. Joh. Gerh. Conf. Cath. lib. II. P. II. artic. XXI. c. V. p. 451. qui Thesin: peccatum originis non est nuda privatio, sed etiam vitiosa qualitas,*

litas,

litas, explicat: *quando concupiscentiam pravam dicimus esse qualitatem, non intelligimus hoc secundem ἀρεσθεων metaphysicam, sed modum loquendi ethicis usitatum, qui agnoscunt HABITUS vitiosos.*

8) *in articulo de causa peccati Joh. Bened. Carpz. Isag. in libros Symbol. p. 498. in quaestione: an peccatum proprie causam efficientem habeat? ad quam respondet distincte, si peccatum consideratur abstractively extra suum subjectum & ratione malitiae, causam efficientem proprie habere non potest, si concretive cum subjecto, quod est inclinatio, vel actio mala, cui inest malitia, recte eidem efficientia tribuitur, quia tunc non ut privatio, & ut virtuti privative opponitur, ipsaque malitia est, consideratur, sed ut est contrarium virtuti & HABITUS vitiosus.*

9) *in articulo de conversione hominis peccatoris ad Deum, Joh. Andr. Schmid. Compend. Theolog. p. 212. ubi aboleri habitualia peccata & physice & moraliter in conversione affirmat, peractus, & quas hi post se relinquunt, per dispositiones, ortosque inde HABITUS oppositos, quorum natura est se mutuo expellere.*

*in eod. Joh. Olear. in Erroribus Socin. Disp. XIII. §. 73. p. 53.*

10.) *in articulo de fide, Joh. Andr. Schmid. qui Comp. Theol. p. 195. ex eo, quod fides in Christum merito inter principia & causas salutis referatur, colligit non historicam, qua etiam hypocritae gloriantur, nec miraculosam, qua sine fide justificante esse possit, Matth. VII, 32. sed salvificam intelligi, qua tamen non spectetur absolute, ut est actus vel HABITUS assentiendi, divinae revelationi innixus, sed quatenus terminatur in Christum.*

*in eodem articulo Theologi Wittebergenses in Fideli admonitione ad Evangelicos in Bohemia & alibi pressos, cap. III. p. 162. dogma ἀγαθον & in scriptura non existans est, quod formaliter justificemur per inherentem justitiae HABITUM, & justificatio non constet sola remissione peccatorum, nec consistat in imputatione Christi.*

*in eodem artic. J. C. Schomerus in Colleg. Anti-Calvin. cap. XIV. de fide & justificatione p. 107. in quaestione, utrum gratia ipsa DEI & justificatio divina nobis per fidem acquiratur, an vero ejus sensus tantum? ubi Reformatis asserentibus: Deum nos ante justificare & peccata nobis remittere, quam vel nascamur vel fidem habeamus, objicientibusque: fidem cessare in altera vita, non justificationem, respondet: fides cessabit non quoad actus suos essentiales, quatenus est ὑπόστασις & ἔλεγχος, atque adeo justificat, sed quoad habitationem objecti, ejusque minus plenam fruitionem, quatenus est ἐλπίζομένων καὶ μὴ βλέπομένων; adeoque non cessabit perdendo quicquam, sed in perfectiorem HABITUM transeundo.*

11) *in*

(11) *in articulo de libero arbitrio* Theologi Regiomontani in Censura Theologorum Orthodoxorum Latermanno opposita, ubi cens. 1. p. 24. incongruam locutionem Latermanni: hominem negative se potius habere, cum resistit convertenti Sp. s. quam positive, rejiciunt *in epicrisi 1. scriptura de resistentia hominum ita loquitur, quod sint duri cervice, Act. VII. 50. qui opus domini destruant Rom. XIV. 14. &c. quæ omnia fluunt ex figmento cordis malo &c. hinc patet peccatum per HABITUALIA vitia describi & ejusdem peccati non minus positivos quam negativos actus morales nobis ob oculos poni. in epicrisi 2. cum hominis corruptio non privatio simplex sed composita sit, quæ includit contrarium HABITUM & contrarii HABITUS successionem, ut Cajetanus ipse loquitur, adeoque privatio positiva & mala qualitas sit, &c.*

(12) *de impletione legis* Casp. Finckius Disput. Catech. XIV. §. 117. ubi ad objectionem pontificiorum negantium peccatum omissionis esse actum adeoque peccatum actuale, respondet, v. Disput. de qualitate prima §. 2. n. 5.

(13.) *de predestinatione & gratia*, Just. Christoph. Schomer. in Collegio Novissimar. Controvers. cap. XII. p. 198. ubi Arminianorum sententiam de conversione, quam omnem a Deo esse nos statuimus, refert, *in Actis synodalibus*, inquit, *post collatam homini credendi potentiam nullam dari aliam conversionis gratiam statuunt, quam pure moralem; in Apologia fol. 133. contendunt, nullum dari Scripturæ S. sensum spiritualem, qui virtute peculiaris inveniatur: in collatione Hagiensi p. 298. voluntati non ipsum obedientiæ HABITUM sed libertatem & indifferentiam ad actus contrarios restitui ajunt.*

(14.) *in articulo de justificatione* Joh. Bened. Carpz. Isag. in libros Symb. p. 213. ubi observat Papistas gratiam justificantem intelligere de dono HABITUALI qualitatibus inherentiis, & facere justitiam duplicem HABITUALEM unam, alteram actualem, per illam intelligere rectitudinem permanentem per modum HABITUS, vel HABITUM infusum, alteram intelligere de dispositionibus quales sunt fides, spes, charitas, & de justitia actuale in specie sic dicta atque exercitio HABITUALIS justitiæ &c.

in eod. artic. Joh. Olear. in Synopsi controvers. Papistic. Disp. VI. §. 36.

(15.) *in articulo de baptismo* Joh. Gerh. Conf. Cathol. lib. II. P. II. artic. XII. c. 2. p. 907. ubi sententiam orthodoxam: infantes habere fidem propriam & actualem, inde probat, quod ipsi Pontificii concedant in infantibus fidem justificantem & salvantem, alienam fidem vero hominem non justificare, nec salvare; consequenter habere eos etiam fidem actualem, quia fides justificans & salvans non est otiosus & torpidus HABITUS, sed fiducialis apprehensio Christi.

*in eod. articulo id. in Dilp. Papistica XII. §. 19.*

*in eod. artic. Alb. Grawerus in Absurdis Absurd. cap. IV. §. 39. 42.*

(16.) *in articulo de vita eterna Jo. Ad. Schertz. Syst. Theol. loco XXIII. §. 6. ubi glorificationem animæ, formam beatitudinis ingredientem, respectu intellectus constituit non solum in clara & intuitiva Dei cognitione, beatorum singulorum mutua & distincta agnitione, sed & in perfectione habituum. Perfectionem HABITUUM quod attinet, inquit, inter virtutes Theologicas fides & spes est desitura &c.*

(17.) *in loco de capite Ecclesiæ vicario id. in Anti-Bellarmino. Disq. IV. p. 291. ubi Bellarmino probaturo potestatem civilem subiectam esse spirituali, argumentanti a subordinatione finis, respondet: a subordinatione finis ad dependentiam principii, HABITUS & subiecti N. V. C. fabrum lignarium & ferrarium subordinari respectu finis, nempe ædificationis domus, non autem dependere hos habitus mechanicos vel artifices aut eorum principia a se invicem.*

§. 4.

Ad *Synonymiam* ubi ventum est, observant Aristotelici, quod habitus I) in oppositione ad actum secundum appelletur *actus primus*, quos sequuntur Theologi *in articulo de imagine Dei* in primo homine, Quenst. Syst. Theol. P. II. p. 29. in quaestione: an imago Dei in sapientia, iustitia & sanctitate sita fuerit? ubi in *διαλύσει* objectionum *distinguit inter sapientiam concreatam ratione ACTUS PRIMI sive HABITUS & ratione actus secundi sive exercitii ejusdem, data explicatione, illum fuisse communem & naturalem in primis parentibus, omnibus concessum & per generationem naturalem ad posterum propagandum; hunc vero proprium & personalem, alium in Eva non tantum numero sed & gradu & modo cognitionis.*

II. *Habitus appellatur porro cum addito habitus Aristotelicus. a Theologis idem fit*

*in articulo de justificatione, a Zach. Schiltero in Expos. Catech. M. Luth. p. 280. negantur Romanenses, inquit, qui gratiæ vocem contendunt non significare misericordiam & favorem Dei gratis peccata remittentis, sed donum charitatis per spiritum sanctum infusum, Conc. Trident. Sess. 6. Can. II. quæ est formæ justificationis in HABITUM iustitiæ ARISTOTELICUM, V. Ethicorum, μεταμόρφωσις prodigiosa.*

III. *Appellatur habitualis qualitas a Georgio Zæmmano de imagine Dei cap. VII. p. 118. ubi observat, sicut cum de humanæ nature conditione ante lapsum disputatur, quales actiones vel ediderit vel edere puterit &c. non possit nec debeat excludi imago Dei, eodem modo quando de viribus hu-*  
mans

naturæ post lapsum agitur, sine peccati originalis consideratione id fieri minime vel debere vel posse: non enim ipsam naturam hominis immediate, qua natura est, sed quandam in homine **HABITUALEM QUALITATEM** proximum esse operationum principium.

IV. Appellatur **ἔξις**, in loco de imagine Dei, ab eodem c. III. p. 69. quia scriptura, inquit, imaginem illam rectitudine seu perfectione Eccles. VII. 30. agnitione Dei Coloss. III. 10. justitia & sanctitate vera Ephes. IV. 24. definit, iccirco nos imaginem illam **ἔξω ἐμφοῦτον** habitum insitum fuisse asserimus.

V. Appellatur in relatione ad dispositionem, vel potius in relatione ad potentiam, quam habitus perfecte, dispositio aliquatenus perficit, **τελείωσις** perfectio, nec hanc nomenclaturam negligunt Theologi

(1) in articulo de imagine Dei Joh. Andr. Quenst. Syst. Theol. P. II. p. 48. ubi in **διαλύσει** objectionum thesi **ἡ ἀναλογία**, quantum ad conformitatem cum Deo primariam, per protoplastorum lapsum, non deformatam solum sed plane amissam esse, oppositarum distinguit inter imaginem Dei improprie & abusive sumptam, vel pro ipsa substantia animæ rationalis ejusque facultatibus essentialibus, intellectu & voluntate, vel pro generali quadam congruentia & **ἀναλογία**, qua anima humana quædam divina exprimit; vel acceptam proprie pro animæ seu facultatum animæ **PERFECTIONIBUS** & virtutibus, h. e. pro concreata justitia & sanctitate &c. facta applicatione, hoc sensu penitus deletam esse.

(2) in articulo de Theologia naturali Jo. Musæus in Introd. in Theol. c. II. p. 78. vid. supra §. 3 num. III. 2. & idem Musæus p. 80. ubi observat convenire Theologos cum Philosophis in eo, quod theologia naturalis sit **PERFECTIO**, qua adjutus intellectus veritatem perspiciat &c. licet perfectionem illam innatam alii habitum, alii quicquam habitui analogum, nonnulli habitum imperfectum & dispositionem appellant.

in eodem articulo Abrah. Calov. Loc. Theol. Tom. II. c. 1. de notitia Dei naturali p. 81. ubi negari non posse existimat, in homine dari sive dispositionem aliquam sive quoddam analogon habitui, aliquam nempe **ΤΕΛΕΙΩΣΙΝ** potentia intellectualis in homine post lapsum reliquam.

in eodem articulo Jo. Affelm. in Syntagm. Exercit. Parte I. Disp. I. Thes. 1. p. 2. ubi Theologia ante lapsum non supernaturalis & externa, sed naturalis & interna **PERFECTIO** fuisse dicitur.

§. 5.

Synonyma excipit definitio habitus Aristotelica: *habitus est qualitas diu permanens & difficulter mobilis, qua promptum est ejus subiectum ad facile*

*facile*

facile exercendas actiones; habitus ergo sunt omnes scientiæ artes, virtutes, vitia. Respiciant ad hanc ipsam definitionem Theologi

(1) in loco de Theologia in genere Balth. Meisn. Philos. Sobr. P. III. Sect. I. 70. quum demonstraturus Theologiam esse habitum Θεόδοτον quædam præsupponit: *præsupponimus autem Theologiam esse quendam habitum intellectus, vel qui mentem nostram perficiat &c.*

(2) in loco de Theologia Revelata Jo. Musæus Introd. in Theologiam cap. III. p. 187, ubi notat Theologiam ex parte voluntatis connotare habitum quendam, quem piæ affectionis dicunt, quo ad imperandum intellectui assensum determinetur, hancque sententiam esse Thomæ, & vero maxime consentaneam. *Est enim, inquit, fides HABITUS, quo intellectus POTENS, EXPEDITUS & PROMPTUS redditur ad assentiendum Veritati primæ propter se & rebus revelatis propter illam: & theologia similiter est habitus quum POTENS, EXPEDITUS & PROMPTUS redditur ad docendum, confirmandum & defendendum &c. conf. p. 199.*

(3) in loco de lege naturæ Balth. Meisn. l. c. P. I. Sect. II. p. 229. quum legem habitum esse probat hoc argumento: *quicquid potentiis superadditur, ut illas DIRIGAT ET PERFICIAT HABITUS EST: lex naturæ talis. E. item definitur HABITUS a philosophis, QUALITAS DIU PERMANENS & DIFFICULTER MOBILIS, QUAE PROMPTUM SIT SUBJECTUM AD FACILE EXERCENDAS ACTIONES. Hæc ipsa autem definitio quadrat ad legem naturæ &c. quare & definitum ei competit, ideoque habitus erit.*

§. 6.

Habitu ita delineatum jubent Peripatetici probe distinguere ceu prædicamentalem & Aristotelicum, ceu naturalem sive concreatam, sive naturaliter acquisitam qualitatem primo a supernaturali, infuso &c. ille & physicus atque philosophicus nominatur, cujusmodi est habitus inatheseos, temperantiæ, notitia Dei naturalis; hic transcendentalis, theologicus, mysticus &c. qualis fuit e. g. habitus theologiæ in Prophetis & Apostolis & reliquis Doctoribus Ecclesiæ. Vestigiis hujus distinctionis insistant Theologi

(1) in loco de Theologia in genere & Revelata in specie. Quenst. Syst. Theol. P. I. c. I. Sect. 2. p. 16. ubi in expositione theses: Theologiam esse habitum Θεόδοτον practicum, distinguit inter HABITUS PHILOSOPHICOS & NATURALES ab Aristot. lib. VI. Ethic. cap. 3. recensitos. & habitum theologiæ, qui ceu singularis & SUPERNATURALIS toto genere ab iis distinctus sit; facta applicatione, NULLUM HABITUM  
ARI-

ARISTOTELICORUM, non sapientiam, scientiam, intellectum  
sive intelligentiam, prudentiam aut artem Theologiae convenire.

in eodem articulo Joh. Musæus Introd. in Theol. p. 21. & imprimis p. 194.  
ubi crisin exercet in vocem Θεόδοτος: vulgo dicitur, inquit, Theologiam esse  
habitum Θεόδοτος h. e. divinitus datum, non tamen eodem plane sensu, quo  
eam HABITUM SUPERNATURALEM diximus. Θεόδοτος vi  
vocis est, quod Dei dono datur, & videtur dici in oppositione ad ea, quæ no-  
stro studio & labore comparantur, sicut Aristot. I. Nic. c. IX. εὐδαιμονίαν Θε-  
όδοτος dicit in oppositione ad beatitudinem, quæ doctrina vel consuetudine  
vel exercitatione comparatur. Atque sic habitus Θεόδοτος erit habitus a Deo  
citra nostrum studium & laborem nobis collatus, sed hoc significatu theologi-  
am habitum Θεόδοτος non esse, in aprico est. Non enim obtingit nobis, nisi  
per doctrinam, meditationem & exercitationem diuturnam.

idem p. 192. quod habitus Theologiae non sit a Deo IMMEDIATE IN-  
FUSUS patet per experientiam. HABITUS enim immediate INFU-  
SI simul toti in instanti conferuntur: Theologia vero nostra successive studio  
& labore addiscenda est. Olim quidem Apostolis INFUSUS est Theolo-  
giae HABITUS immediate &c. conf. cap. I. p. 21. P. II. c. I. p. 299.

idem c. III. p. 132 ubi non minus opinionem eorum, qui quoddam ha-  
bituum genus inter habitus theoreticos & practicos, quod affectivum vocatur,  
sunt, quam illorum sententiam, qui divisionem habituum in theoreticos &  
practicos solos NATURALES HABITUS concernere comminiscuntur  
confutare contendit.

in eodem articulo Ægidius Strauchius Comp. Theol. Posit. Polem. p. 1. &  
2. Theologia Christiana est HABITUS Θεόδοτος, non vero intelligitur  
HABITUS ARISTOTELICUS, sed longe eminentioris ordinis.  
Convenientia est aliqualis inter ARISTOTELICUM & THEOLO-  
GICUM, sed non perfecta. & p. 3. discernitur in eo ab ARISTOTE-  
LICIS HABITIBUS, quod Aristotelici proprio studio comparantur,  
hic non item.

(2) in loco de justificatione Sebast. Schmidius Compend. Theol. p. 317.  
ubi scholasticorum distinctiones fidei recenset & damnat, utpote scripturæ  
ignotas, quibus (Scholasticis) (1) alia fides est explicita alia implicita, (2)  
alia infusa, alia acquisita, illa HABITUS a Deo SUPERNATURA-  
LITER & immediate in animo creatus esse dicitur, hæc vero HABITUS  
NATURALITER ACQUISITUS ex actibus credendi frequenta-  
tis; illa infantium, hæc adultorum.

idem p. 7. ubi negat vocem justificare nunquam significare per INFUSUM-  
justitiæ HABITUM justificare aut per justitiam actualem justificari.

*in eodem articulo Joh. Affelm. Syntagm. Diss. P. I. Diss. XIX. p. 529.*

*in eod. artic. Joh. Bened. Carpz. Ifag. in libros Symbol. p. 213-218.*

*in eod. artic. Jo. Gerh. Confess. Cathol. L. II. P. III. art. XXIII. c. IV. p. 686.*

710. 713.

(3) *in loco de aeterna praedestinatione Jo. Andr. Quenst. Syst. P. I. ubi Polanicum aliis negantis, electos per peccata mortalia gratiam Sp. S. inhabitantis excutere & fidem totaliter amittere posse, Polani, inquam, objectionem: si habitus dependet ab uno vel altero actu, nec evertitur opposito uno vel altero actu, multo minus HABITUS a Sp. S. INFUSUS, diluit instantiis imaginis divinae concreatae habitualis, unico peccati enormis actu amissa, vita naturalis unico frigidae aqua haustu non raro extincta.*

(4) *in loco de notitia Dei naturali Jo. Andr. Quenst. Syst. P. I. c. VI. qui p. 260. distinguit inter habitus acquisitos, insitos (i. e. connatos, voce insitus specialiter accepta) concreatos & DIVINITUS INFUSOS; πολυθεήλωτον illud, inquit, nihil est in intellectu, quod non prius fuerit in voluntate, de habitibus acquisitis & speciebus intelligibilibus, quae beneficio abstractionis concipiuntur, non de habitibus insitis, concreatis & INFUSIS, & quae inesse possunt ante abstractionem, accipiendum est.*

(5) *in loco de imagine Dei Georg. Lexmannus cap. IV. p. 73. duplex, inquit, est imaginis Dei consideratio, absoluta & relativa. Quatenus absolute in categoria qualitatis consideratur, ut HABITUS CONCREATUS, formale ejus est nativa illa & interior omnium potentiarum integritas & εὐταξία, nempe intellectus sapientia &c. At si relate consideretur, concreata illa omnium virium integritas materiale est, formale vero inhabitatio gratiosa.*

(6) *in loco de peccato Jo. Ben. Carpz. Ifag. in libr. Symb. p. 842. qui cum Artic. Schmalcaldicorum verba: peccatum ab uno homine &c. adduxisset, pergat: in his & sequentibus verbis designatur (1) causa efficiens (quae tamen rectius deficiens dicitur) primi inter homines peccati, quae fuit Adam, quatenus is ex intentione Dei &c. voluntatem suam ad objectum vetitum determinavit, & potentiam ad faciendam applicavit, atque eo ipso imaginem divinam ceu HABITUM NATURALEM & CONCREATUM statim amisit, contra habitum malitiae sibi attraxit.*

(7) *in loco de bonis operibus Joh. B. Carpz. If. in libr. symbol. p. 265, ubi naturam fidei exponit, & inter alia asserit intelligi fidem, quae non tantum ἐν ἐλέξει suam & actum formalem habet, qui est fiducialis apprehensio meriti, sed etiam ἐν ἐργείᾳ ac vitalem operationem, quae est vel essentialis, quatenus Christum vitam nostram tenet, qua justificamur, vel secundaria & conse-*  
qui-



quativa, quatenus per charitatem operosa est, Gal. V. v. 6. non quidem per modum **INFUSI HABITUS MORALIS** homogeneas actiones producentis, sed quatenus sp. s. offert, qui charismata sua atque ita etiam charitatem largiter donat.

(8) in loco de gratia & libero arbitrio Joh. Gerh. Confess. Cathol. lib. II. P. III. artic. XXII. cap. I. p. 483 seqq. ubi sententiam nostram, gratiam gratum facientem seu justificantem non esse qualitatem per modum habitus in homine permanentem, sed gratuitum Dei favorem, inter alia probat ex oppositione, Gratia, inquit, in tractatione Apostolica hujus articuli opponitur operibus, debito, merito, legi &c. Rom. XI. v. 6. cap. IV. 5 16. Ephes. 1. 5. &c. ergo in articulo justificationis non significat **INFUSUM HABITUM**. Ratio connexionis est, quia **INFUSUS** ille **HABITUS** ex hypothese Pontificiorum est causa efficiens & principium bonorum operum &c. quin & **INFUSUM** illum **HABITUM** Pontificii describunt potissimum a caritate jam vero charitas est summa & impletio legis Matth. XXII. 37. Rom. XIII. 11.

idem eodem loco pag. 487.

idem in Bellarmino Orthodoxias teste, disput. XXVII. §. 8.

idem in Disput. Papist. XIIX. §. 2. 3. 4.

(9) in loco de gratia Dei, qua justificamur, Theologi Wittebergenfes in fideli admonitione ad Evangelicos in Bohemia & alibi pressos, Cap. III. p. 172. ubi ostendentes Papistarum dogma de justificatione peccatoris esse ἀντιλογον ita differunt: Gratia Dei, qua justificamur, iis non favorem Dei, sed **HABITUM** nobis **INFUSUM** notat, & justificatio illis non est absolutio a peccatis, vel gratuita eorum remissio ob imputatam Christi satisfactionem, sed omnimoda peccati expulsio & justitiæ **HABITUALIS INFUSIO**.

(10) in loco de justificatione Balthasar Meisnerus in Excubiis Papisticarum depulsione p. 99. seq. uti Antagonistæ suo in articulo de justificatione ad infusam justitiam provocanti respondet: justitiam infusam & inherente m. non plane inficiamur, sed tantum per & propter illam coram tribunali divino a peccatis nos minime absolvi, sed unice per fidem in Christum sine operibus nos justificari cum Paulo, statuimus. Probet Jesuita quod **INFUSUS** justitiæ **HABITUS** formaliter sit illa ipsa justitia propter quam in judicio Dei absolvimur a peccatis, & justificati pronunciamur.

in eodem loco Joh. Olearius in libris symbol. p. 1321. q. 1e Carpzovii disputatione de justificatione inter alias Papisticas theses falsas & illam refert: peccatores in initio vite spiritualis & in conversione sua justificari per solum **HABITUM INFUSUM**, postea vero augeri justificationem, & per justitiam actualem augeri & perfici habitualem.

*in eodem articulo Joh. Gerh. in Bellarm. Orthod. teste dilp. XXIX. §. 45. ubi cum ostendisset Bellarminum ex defectu confessionis ἀπαίδευτος probare conari, defectum actualis fidei in infantibus, colligit: statuit ergo infantes baptizatos INFUSO fidei HABITU absque externa confessione salvari. Agnoscit igitur confessionem externam non esse ad salutem absolute & simpliciter, ne dum ad salutem efficiendam necessariam.*

*in eodem articulo Joh. Affelm. Syntagm. P. I. diff. XIX. p. 529.*

( u ) *in loco de baptismo infantum, Zach. Schilt. Expos. Catech. Min. Lutheri p. 494. ubi tres perhibet esse sententias præcipuas de fide infantum, 1. nullam eos omnino habere fidem, eo quod doctrinæ capaces non sint, quæ aperta negatio, inquit, Anabaptistarum furor est. 2. habere eos fidem, non quoad actum, sed quoad HABITUM gratiæ INFUSUM saltem, & quasi semen tantum seu principium, seu radicem, seu δυνάμιν saltem fidei, sicut infans aliquis δυνάμει est Doctor, orator &c, quæ opimo Pontificiis communis est. 3. tertia sententia est fidei Christianæ ἀνάλογα & S. Scripturæ consentanea. Infantes scilicet credere, tam quoad actum, quam quoad habitum fidei &c. sed non adultorum more, verum pro suo captu & modulo nobis inexplicabili.*

( 12 ) *in loco de persona Christi Martinus Chemnitius de duabus naturis in Christo cap. XXI. p. 133. ubi nimium habitus Aristotelicos extendi conqueritur: At, Scholastici doctores, inquit, cum de HABITIBUS INFUSIS & inherentes nimium philosopharentur, non tantum dona spiritualia creata, sed in genere omnia, quæcunque ex hypostatica unione assumpta naturæ in Christo data scribuntur, ad habitus suos restrinxerunt, ita, ut quando ea, quæ scriptura docet, Christo in tempore data, non possent ad habitum aliquem creatum & inherentes referre, simpliciter ea adimant humanæ naturæ & alio modo interpretentur, sed hac ratione philosophando solum de HABITIBUS INFUSIS & inherentes & a lingua & a mente tum scripturæ tum Veteris Ecclesiæ discesserunt scholastici doctores. Debuissent autem cogitare sententiarum, quod Deus etiam per sanctos multa miranda opera efficit, non mediantibus in ipsis inherentes habitibus, nam ἐξοισία καὶ δυνάμεις exuscitandi mortuos, expellendi demonia &c. data Apostolis Luc. IX. non fuit vel HABITUS INFUSUS, vel qualitas creata & formaliter inherens in Apostolis, sed usi fuerunt divina virtute & potentia &c. conf. cap. XXXIII. p. 264, fac. b. ubi eos confutat, quibus exaltatio humanitatis Christi tantum de donis creatis, qualitatibus finitis seu habitibus infusis intelligitur.*

§. 7.

*Secundo distinguunt habitum naturalem & Aristotelicum a spirituali, gratioso, gratuitoque, illum viribus naturalibus naturaliter acquiri, hunc gratiæ principio adscribendum esse perhibentes. Inter Theologos ita distinguit*

178

*in articulo de persona Christi* Martinus Chemnitius in libello de duabus naturis in Christo, cap. XXI. p. 133. vid. locum infra §. 9. ubi **HABITUS SPIRITUALIS** mentionem facit:

id cap. XXXIII. p. 269. fac. b. scholasticos carpit, qui ab instanti conceptionis facultates humanæ naturæ perfectas fuisse contendunt: *non autem hoc loco, inquit, cum scholasticis disputabo de formali perfectione conditionum & facultatum, & ipsius humanæ naturæ in Christo, quasi illa ab instanti conceptionis in donis, qualitatibus & habitibus NATURALIBUS & GRATUITIS fuerit omnibus numeris & gradibus statim absoluta & perfecta.*

§. 8.

Tertio distinguunt habitum ceu *vulgarem, prædicamentalem & Aristotelicum & philosophicum & naturalem* ab habitu *Theologiæ*, ceu Θεολόγω, quem *singularem* imo & suo modo *supernaturalem* esse perhibent Theologi. conf. testimonia §. præced. 6. num. (1).

§. 9.

Quarto distinguunt *habitum Aristotelicum* ceu *formaliter talem* ab *habitu eminenter tali*, qui habituum Aristotelicorum species omnes excedere & in se comprehendere dicitur. Huc collineant Theologi

(1) *in loco de Theologia in genere* Jo. Ad. Scherz. Syst. Theol. Proleg. §. 9. p. 3.

*in eod. artic.* Ægid. Strauchius Theol. Positivo-Polem. p. 2.

*in eod. artic.* Balthasar Meisnerus Philos. Sobr. P. I. Sect. 2. p. 245.

(2) *in articulo de persona Christi* Martinus Chemnitius in libello de duabus naturis in Christo cap. XXI. p. 133.

§. 10.

Quinto distinguunt *habitum inferioris ordinis* ceu *prædicamentalem & Aristotelicum* ab habitu *altioris ordinis*, & a quo omnes imperfectiones remouentur, quæ distinctio parum vel nihil a proxime præcedente abire videtur, nihilominus ejus sub his etiam terminis hic mentionem fieri simulque quid Musæus de ea iudicet audire placuit, *Introd. in Theol. P. I. c. III. p. 124.*

§. 11.

Sexto distinguunt habitum *prædicamentalem* ab *habitu piæ affectionis*, quo voluntas piæ affecta est erga intellectum captivandum in ejus obsequium, ita distinguit

(1) *in loco de Theologia Revelata* Joh. Musæus in *Introd. in Theol. P. I. c. III. p. 185.* Hinc, inquit, sequitur, quod *Theologia*, quamvis formaliter sit *habitus intellectus in iis*, quæ nostræ salutis causa revelata sunt tradendis, confirmandis & defendendis occupatus, ex parte voluntatis tamen connotet **HABITUM** quendam, quem **PIÆ AFFECTIONIS** dicunt, quo sc. voluntas

voluntas

voluntas erga primam veritatem revelantem ejusque in Scripturis Prophetis & Apostolicis contentam revelationem pie affecta & prompta reddatur ad captivandum intellectum, si forte suis διαλογισμοῖς obsistat, in ejus obsequium, eumque ad assensum imperio suo determinandum. Quem habitum piæ affectionis contra Thomistas modernos, negantes ad motionem illam elicendam requiri aliquem habitum in voluntate præexistentem, cum Dei auxili-um actuale sufficiat, defendit p. 187.

§. 12.

Tandem distingunt habitum prædicamentalem, cui primario natura habitus competit, ab eo, cui secundario competit & per ἀναλογίαν h. e. ab habitu analogice tali. conf. Musæus in loco de Theologia in genere cap. I. p. 1.

in loco de Theologia naturali id. l. c. cap. II. p. 54. 77. (vid. supra præced. §. 3. Num. III. (3) & p. 79. ubi de quarta sententia nonnullorum, referentium insitam de Deo notitiam ad instinctum quendam, natura hominum mentibus insitum, quo intellectus in ejus assensum feratur, judicat, eam forsan non incommode cum illa, quæ communior & Theologis magis recepta est, notitiam nempe de existentia Dei aliarumque de Deo notionum communium esse nobis insitam per habitum quendam cognoscendi, intellectui innatum, conjungi posse, ut communes de Deo notiones hominum mentibus natura insita dicantur cum per quandam intellectui connatam perfectionem HABITUI ΑΝΑΛΟΓΟΝ, tum per innatum intellectui instinctum sive appetitum ad Deum ejusque existentiam, ut quemadmodum vi illius intellectus veritatem communium de Deo notionum, quæ sunt de est tertii adjecti, ex apprehensis terminis statim, citra discursum cognoscit, ita vi hujus velut pondere quodam inclinatus in existentiam Dei feratur, Deumque esse, si non per se immediate ex apprehensis terminis statim evidenter cognoscat, naturæ instinctu tamen cogente admittat. Quæ propterea prolixius adduxi (non vero hoc ipso, ut nec alia, ubi a Theologorum communi sententia abit, probavi) ut quid Musæus de notitia Dei naturali statuatur, exinde simul colligi queat.

C O R O L A R I A.

Vitia iterata abeunt in habitum, &, ut ajunt, in naturam ipsam.

Qui ex habitu agunt, libere agere non desinunt.

Non pugnat unum idemque accidens respectu ejusdem subjecti esse accidens & de essentia illius subjecti.

Oppositarum qualitatum natura est se mutuo expellere.

Fides in altera vita cessabit non perdendo aliquid, sed in perfectiorem habitum transeundo.

Male a Pontificiis colligitur: potestas civilis ratione finis, subordinatur spirituali, ergo civilis subjecta est spirituali.

Coll. diss. A 71, unsc. 16